



## LEONHARDUS EULERUS

MATHEMATICUS ACUTISSIMUS

A D A U C T O R E M.

**J**AM ante quidem, maximi feci Theoriam Tuam aquarum fluentium, propter veram & genuinam Methodum, quam Tu, Vir Excellentissime, primus atque solus aperuisti ad hujus generis Problemata solide pertractanda. Nunc vero, perfecta altera Tuarum Meditationum parte, penitus obstupui fecundissima principiorum Tuorum applicatione ad perplexissima Problemata resolvenda, quo utilissimo pariter ac profundissimo invento Nomen Tuum celeberrimum apud posteros perpetuo erit sacrum. Obscurissimam autem atque abstrusissimam questionem, de pressione quam latera vasorum ab aquis transfuentibus patiuntur, tam distipete & enucleate enodasti, ut nihil amplius in hanc tam difficili re supersit, quod desiderari queat. Ut enim nemo, praeter Filium Tuum celeberrimum, hoc argumentum attigit, qui tamen tantum cum totus motus sese jam ad statum permanentem composuerit, pressionem via satis indirecta definiuit; Ita Tu statim, methodo genuina patefacta, pressionem in omni aquae statu accuratissime determinasti, de quo Te dignissimo invento Tibi, Vir Excellentissime, ex animo gratulor, & pro communicatione maximas gratias ago.